

f. 1389.
2,439.

DISPUTATIO JURIDICA,

De

1625 507

IURE VENANDI. 8

Quam,

Divini Numinis aspirante gratia,

Authoritate ac suffragio Magnificæ ac Amplissimæ
Jctorum Facultatis in Academia Witte-
bergenfi,

P R Æ S I D E

Amplissimo, Consultissimoq; Viro

Dn. GOTTFRIDO Reutern /

J. U. D. Professore publico, Curia Provincialis &
Facultatis Juridicæ Assessore, ac p. t.
Decano.

Publicæ disquisitioni subjicit

ADAMUS Leupoldt / Sprembergâ Lusatus.

Ad diem 16. Augusti

In auditorio Jctorum, horis matutinis.

VVITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI

ANNO M. DC. XXVI.

Adamus Leupoldt. Iure venandi.

Reutern



DISPUTATIO JURIDICA

IURE VENANDI

Authoritate et iustitiae Magnificae et Amplissimae
Academiae Scientiarum et Artium Lipsiensium



ADAMUS STEPHANUS STEINBERGER LUTATUS.

Typis JOHANNIS GORMANNI

ANNO M. DC. XLV.

Diss. Jur. ^{de Genen} Rom

601-620.

Preuter Priviny


603-622.

628

Band XXVIII.

1807





IN NOMINE DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI.

IN NOMINE DOMINI

NOSTRI JESU CHRISTI.

I.



Nter modos acquirendi domi-
nia, jure naturæ, quod & gentium voca-
tur, primum sibi vendicat locum oc-
cupatio, quæ fit vel vi, ut in bello & vena-
tione; vel sine vi, ut inventione §. singu-
lorum juncto §. 12. cum seqq. ubi Dd. Inst.
& l. 2. cum seqq. D. de R. D.

II. Nos missis reliquis occupatio-

nis speciebus, de venatione, cum teste Harpr. materia sit valde
elegans, subtilis, & frequens, pro ratione instituti nostri paucis
impresensiarum videbimus.

III. Ante omnia autem sciendum vocabulum venatio-
nis æquivocum esse, & generaliter tam piscationem, quam aucu-
pium, in se continere, proprie & in specie tamen acceptum, pro
persecutione & captura ferarum terrestrium sumitur.

IV. Hujus ex traditis DD. communiter plures constitutæ
inveniuntur species: Oppressiva, Adulatoria, Arenaria, & Saltuo-
sa sive Sylvatica, quæ tamen potius Nominis in sua significata di-
stinctiones esse videntur.

V. Nos verò in Propriam & Impropriam seu Abusivam
dispescimus.

VI. Ad Impropriam pertinet, Oppressiva, Adulatoria &
Arenaria.

VII. Oppressiva est, quando homines per violentiam op-
primebantur & trucidabantur; Adulatoria, fit per verba, quæ re-
spicit aucupes sermonum & verborum ac frequens est nostris ho-
diernis histrionibus & parasitis, qui omnibus assentari student.

A 2

8. Arenaria.

111111



VIII. Arenaria olim erat, quando quis cum bestia pugnatus in aream intromittebatur, non virtutis, sed lucri faciendi gratia, Et hæc tria genera venationis, ut iniqua & illicita merito rejicimus.

IX. Propria est illa venatio, quæ fit in saltibus cum canibus, ut loquuntur, & clamore, undè & saltuosa & clamorosa indigitatur.

X. Definitur itaque Venatio propriè & strictè accepta, Jus seu facultas libera investigandi & capiendi feras terrestres, in nullius dominio existentes, jure Divino, gentium & Civili permissa.

XI. Ubi circa definitionem haut incommodè quæritur: Utrum inter Regalia venatio sit referenda? videmus variè DD. de hac quæstione disceptare; Nos venationem jus proprium & per se consistens esse asserimus: de hodierna tamen consuetudine tanquam regale ratione connexitatis ac accessorii ad superiorem pertinere respondit Modest. Pistor. conf. 14. n. 23. fol. 2. Noë Mewer passim & præsertim part. 2. tit. von dem gebrauch oder gewohnheit &c. §. widerumb aber &c. f. 41. & 49. Pruck. de Regal. §. venatio n. 8. Hinc Petr. Heig. part. 1. quæst. 15. n. 44. si in clara luce oculos claudere noluerimus, nihil verius, nihilque manifestius esse, ait, quam venationem ad regalia pertinere. Constat enim Frideric. I. Imperatorem, Guidoni Guerra Comiti in Etruria cum bonis etiam regalia concessisse, & inter cætera nominata Regalia etiam venationes, Carol. Sigon. lib. 13. de Reg. Italia.

XII. Competit vero Jus venandi jure g. omnibus indistinctè hominibus, nullo personarum habito respectu. §. fera I. de R. D. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, l. 1. & 3. & l. quod in littore 14. D. de A. R. D. l. ff. de Acq. poss.

XIII. An verò Clericis & Monachis aliisque personis Ecclesiasticis venatio indistinctè permissa sit, quæstionis est? Negamus. Imò gravissimæ pœnæ Clericis venantibus sunt impositæ, ut constat ex c. 1. & 2. Extr. de cleric. venat. can. 2. 3. dist. 34. c. r.

extra

extra ne cler. & Monach. Noë Meturer d. p. 2. tit. welchen Per-
sonen vnd Ständen fol. 31. Hodie verò & in hoc casu contrarium
videmus, idque licite fieri posse comm. placet: si modo saltus
proprius aut ferarum vivaria haberent, quorum reditus ex sola
venatione consistunt, vel jus venandi in alienis fundis haberent
acquisitum, & per venatores laicos ad hoc constitutos venaren-
tur, & potius causa necessitatis, aut utilitatis vel recreationis
hoc facerent, modo necessaria vocationis officia non negligan-
tur neve modestiæ fines transgrediantur, d. Clem. 1. §. porro ubi
gl. & Cc. comm. Extr. de Cleric. venat. Dn. Pruckman. d. §. Ve-
natio. c. 4. n. 28. Wesenb. in parat. ff. de A. R. D. n. 7.

XIV. Caterum acquirimus per venationem omnia ani-
malia fera in libertate naturali constituta, ita ut statim sive
plenè sicut occupantium §. feræ, l. de R. D. secus in iis, quæ viva-
riis inclusa, cum à nobis possideantur: sic non occupantium fi-
unt animalia arte cicurata, nec naturâ mansueta, nec denique
curâ hominum mansuefacta sive cicurata, ut sunt pavones, apes
domesticæ & similia. Hæc enim si quis lucrandi animo acce-
perit neque domino restituere voluerit, tam furti, quam ad exhi-
bendum actione tenebitur, §. gallinarum, Inst. de R. D. l. natu-
ralem §. 6. ff. A. R. D. l. 3. §. fin. l. 5. §. 1. l. 6. D. ad exhibendum.

XV. Fera tamen, licet lethaliter, vulnerata, non prius oc-
cupantis contra Trebatium dicitur, quam si eam cæperit, custo-
diæque suæ subjecerit, §. 13. l. de R. D. l. 3. §. 2. in f. l. 5. §. 1. de A.
R. D. nisi contraria consuetudo loci aliud suadeat, quemadmo-
dum & hodie quibusdam in locis inter venatores Trebatii opi-
nio est recepta, ita ut licet fera à me vulnerata per occupationem
non dum verè sive plenè mea sit, non tamen liceat alteri eam eri-
pere, meque persequentem insidiosè antevertere gl. in d. l. natu-
ralem §. 1. de A. R. D. §. illud quæsitum ubi Myns. & Dd Inst.
de R. D. Schneidevvin. in d. §. 12. num. 4. facit l. 44. in f. D. de
A. R. D.

XVI. An autem surripiens ovem de ore lupi sive galli-
nam de ore vulpis suam faciat, an vero priori domino restituere
teneatur controversatur? Post. Aff. d. l. Pomponius. 44. in fin. de

A. R. D. l. 8. in f. ff. Famil. hercisc. Sic rusticus Falconem inveni-
ens cum sonaleis argenteis pedibus junctis priori domino ad re-
stitutionem obligatur arg. §. furtum J. de Oblig. quæ ex delict.
nas. & d. l. 44. inf. Noë Mewer vom Forst vno Jagtrecht p. 3.
fol. 37.

XVII. Sequitur nunc de locis, in quibus venatio exer-
ceri possit. Et sciendum, venationem jure Justiniano adeo
esse licitam, ut nihil intersit, sive quis in propriis sive in publicis
aut alienis fundis, nisi consuetudine aliud sit receptum, venetur
§. 12. Inst. de R. D. l. 3. ff. de acquir. rer. dom.

XVIII. In privatis tamen & alienis dominus fundi, si is
præviderit ingredientem jure prohibere potest, in tantum, ut non
solum injuriarum, qui contra domini prohibitionem ingressus
fuerit, sed & ad damni per ingressum istum domino fundi illati
emendationem teneatur t. t. D. & C. ad L. Aquil. l. 3. §. 1. de A. R.
D. §. feræ 12. inst. de R. D.

XIX. Quod si venator contra domini prohibitionem
nihilominus fundum ingrediatur, & monitus, ut exiret, resistit,
hoc casu & proprio Marte & vi à fundi domino jure expellitur
arg. l. ut vim 3. ff. de l. & l. junctal. vim facit II. de vi & vi armat.
l. 45. §. qui cum aliter D. ad L. Aquil.

XX. An verò ingrediens alienum fundum contra prohi-
bitionem domini, nihilominus veram captam occupatione
suam faciat, ambigunt Dd: Nos cum Vult. Duaren. & Wesenb.
affirm. arg. §. 12. Inst. de R. D. arg. l. 3. §. 1. & 2. de A. R. D. l. 3.
§. 14 de A. vel A. P. Nov. 2. c. 3. vers. sicut l. & si 14. §. Divus D.
de relig. & sumpt. fun. Medic. p. 1. q. 7. n. 15 Hillig. ad Don. 4.
com. 8. tit. F. Harpp. ad d. §. 12. & 13. n. 29. cum seqq.

XXI. In loco publico prohibito venari actio injuria-
rum contra prohibentem competit, nisi per præscriptionem longi
temporis prohibens, post factam prohibitionem sibi tale jus ac-
quisierit, ut sibi soli in publico isto loco venari liceret l. 13. §. fin.
ff. de injur. l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ.

XXII. Sed hæc de jur. civ. Justiniano; à quo primum
est recessum, per constitutionem Imperatoris Friderici, quâ priva-
tis ho-

tis hominibus & præsertim rusticis jus venandi in publico & alieno loco ademptum 2. F. 27. §. 4. vers. nemo retia ubi Alvarott. & comm. FF.

XXIII. Ursos tamen apros & lupos, ex d. constitutione Friderici capere & occidere etiam in alieno fundo cuilibet concessum est. Licet in apris experientia doceat, hodiè aliud observari.

XXIV. Hinc itaque potuisse Principes & terrarum dominos jus venandi sibi solis attribuere, aliisque interdicere, vel quia justæ causæ eos moverunt, vel quia longa præscriptione ad se transtulerunt: Imò adhuc hodiè & vel maximè, si ex certa causa fiat, adimere privatis venationem posse cum Dd. comm. statumus arg. Jerem. 27. v. 6. & c. 28. v. 14. Dan. 2. vers. 38. Facit. L. fin. C. si contra jus vel utilit. publ. l. rescripta C. de precib. Imp. offere. Heig. p. 1. q. 15. num. 21. & seq. Gail. 2. O. 67. & seq. Andr. Knich. de Saxo. ju. non prov. verb. Ducum Saxonix cap. 5. num. 170.

XXV. Hinc & ex inveterata & recepta consuetudine nemini privatorum venari licitum est, nisi ex speciali privilegio vel ex statuto vel ex præscriptione vel ex alia justa causa hoc ipsi concessum sit arg. c. super quibusdam §. præterea Extr. de verb. signif. l. 7. C. de Servit. & aqua. Wesenb. in parat. de acquir. rer. dom. n. 7.

XXVI. Quemadmodum autem Principes subditis suis ex certa causa venationem in totum possunt adimere, ita quoq; eam certo habito respectu, poterunt restringere, ita ut certo tantum hoc vel illo tempore, hisce vel aliis modis, has vel illas feras capere liceat, Med part. 1. q. 10. & 11. Dd. in d. c. nemo retia, de pace tenend. Schneid. in d. §. 12.

XXVII. Circa tempora Venationis notandum diebus festis & dominicis, ubi necessaria Ecclesiæ vel Reip. munera ob-eunda sunt, regulariter venari non licere, nisi vel necessitas vel publica utilitas, ne forte fructus vel segetes devastentur, contrarium suadeat c. 3. & ult. Extr. de feriis l. 3. C. cod. can. Esau ean. quid prodest dist. 86. ibique Cc. Exod. 2. vers. 14. 16. Levit. 23. vers. 3.

vers. 3. & 8. Numer. 25. vers. 32. Medic. part. 1. quæst. 3.
& II.

XXIIX. Nunquid verò consuetudine vel præscriptione induci queat, ut subditi stantibus & pendentibus adhuc agrorum fructibus, feras bestias abigere vel latratores molossos ad hanc rem constituere jure prohibeantur? Idque negandum censemus. Venatio enim semper intelligenda, ne tertio damnum inferatur, arg. c. super eo Extr. de Off. deleg. arg. l. ex facto D. de vulg. & pupill. arg. §. in pecudum 37. l. de R. D. l. 28. §. 1. ff. de usur. l. fin. C. si cont. jus vel util. pub. l. 39. D. LL. Gal. 2. O. 68. n. 20. Noë Mewrer d. tr. par. 2. tit. wie die Zeune wider das Wild / vnd zu beschützung der Früchte / 2c.

XXIX. Prohibere tamen possunt ii, quibus jus venandi in Sylva quadam aliove loco competit, ne quis absque urgente causa globum emittat in Sylva, & bombardam exoneret, eum in finem, ne ob sonitum bombardæ in alias sylvas feræ sese conferant. arg. l. 10. §. fin. D. si serv. vindic. & arg. l. 4. §. si quis d. loc.

XXX. Jus hoc acquisitum venandi ad alium jure transferri potest, tot. tit. de hæreditat. vel actio. vend. l. 21. C. Mandati, Non tamen si concessio facta fuerit in certam personam, aut saltem ad voluptatem, tunc enim personam non transgreditur. arg. §. 1. & 2. J. de Usu & habit. l. 57. §. ult. ff. de usufr. arg. L. inter artifices 31. D. de solut. L. item 10. §. 1. D. comm. divid. Harpp. d. §. 12. & 13. n. 214. & seq. Facit L. ex pluribus 42. D. de administrat. tutor. Eadem ratione nec venationes precariæ, quas vulgò die Gnadenjagten vocant, altera cedi possunt, privilegia enim ex singulari gratia alicui concessa, in alium transferri nequeunt, §. 6. Inst. de j. n. g. & civ. l. 24. ff. de administ. tut. l. 67. §. si puellæ de ritu nupt. Noë Mewrer d. tract. von Forst vnd Jagtrecht / p. 2. tit. von aus Gnaden vnd durch ein revers zugelassen Jagens gebrauch.

XXXI. Ulterius quæritur? An concessio alicui per investitu-

stituram à Principe jure venandi in certo territorio seu districtu;
jus aucupandi vel piscendi unâ concessum intelligitur?
Negam. si modo de piscatione & aucupio in specie nihil fuerit a-
ctum, à separatis enim nihil infertur, cum diversa habeant no-
mina & diversos effectus, idq; usus & observantia confirmat. l. fin.
de Calum. l. 20. de minor. l. 9. §. aucupiorum D. de usur. Facit L. 61.
in f. D. de judic. Harpp. d. 10. n. 225.

XXXII. Idem est in concessa potestate capiendi vel in-
sectandi feras majores puta cervos, apros, vulgò das hohe/ grobe
vnd schwartze Wild/ ea n. data & tributa facultas capiendi fe-
ras minores, ut vulpes, lepores & similes vulgò das kleine Wilpret
non tributa intelligitur. Modus enim uti servitutis, ita & venatio-
nis concessione adjectus exactissimè strictissimeq; servari debet,
l. 4. de servitut. l. 13. de serv. præd. rust. l. si sic constituta ff. quemad-
modum servitus amitt. l. 13. de S. R. P. Nisi ex præsumta mente &
verisimilitudine paciscentium aliud constet, cum in omni con-
cessione id, quod verisimile attendendum l. Titius. 25. §. 1. ubi Dd.
ff. de liber. & post.

XXXIII. Generaliter verò & simpliciter venatione con-
cessa, an omnis generis feras indistinctè venari liceat, quæritur?
Nos propter generalitatem & juris rationem affirmantium as-
sertioni adstipulamur arg. l. 1. §. generaliter D. de legat. præstand. l.
f. C. de Pact. pignor. Heig. p. 1. q. 15. n. 161. & seqq. Facit L. 1. §. hæc
verba, D. quæ in fraud. creditor. nisi à venatoribus in quibusdam
locis aliud observetur, Heig. d. 10. n. 64. Vide Noe Mäver d. tract.
p. 3. fol. 37.

XXXIV. Modus sive forma venandi consistit in eo
quod fiat venatio modò cum cornu & clamore, adhibitis cani-
bus venaticis; modo armis & tormentis, aliisq; id genus instru-
mentis sed tamen meritò absq; cujusq; privati incommodo &
detrimento, adeò, ut damnū inde causatum & datum resarciri de-
beat. L. 28. l. 29. D. ad L. Aquil. L. 55. D. de A. R. D. d. v. nemo retia 2.
F. 27. arg. tt D. & C. ad L. Aquil. l. 2. §. f. D. si quadrup. paup. fecis-
dica. l. 40. cum seqq. de ædil. edi. Gail. 2. O. 60. n. 10. Harpp. d. 10. n.
B 128. ubi

128. ubi tamen respectu damni restituendi contrarium de usu & consuetudine servari ait.

XXXV. Unde non inconvenienter quaeritur: An fera bestia lethali vulnere quidem percussam, sed aufugientem in alieno solo persequi liceat? Quod affirmandum arg. l. naturalem §. 1. ff. de A. R. D. Schneide & alii §. 13. Inst. de R. D. modo absq; clamore & sonitu cornu sive buccinae persecutio fiat. Noe Mayer d. p. 2. tit. Wie man das Wild Jagen sol/ubi inculcat, & hoc casu consuetudinem venatorum & observantiam locorum, quae in hoc juris articulo plurimum valet, eiq; semper ubi viget, standum, attendendam esse.

XXXVI. Licitum verò est Venatori pro arbitrio vel in suo vel in alieno fundo in quo jus venandi habet, foveas fodere & laqueos aliaq; instrumenta ferarum capiendarum ponere, modo eo loci tale quid simile alias factitatum & non fiat in locis vel itineribus pub. nec hominibus vel pecoribus aliquid periculi ex inde emergere possit l. qui foveas 28. uti Dd. cum l. sequ. ff. Ad L. Aquil. d. vers. nemo retia 2. F. 27 l. si quando §. 1. D. si serv. vind. Wesenb d.l.

XXXVII. Quid si venator qui in loco solito & concessio. venetur, & telum in feram dirigat, hominem verò fortè trajiciat, an poena L. Cornel. de Sicar. teneatur? Negam. cum nec animum occidendi habuisse praesumitur, & haec interpretatio tanquam benignior, alias quoq; in dubio assumenda l. 1. §. 3. l. 7. l. 14 l. 16 ff. & l. 5. C. ad L. Cornel. de sic. Medic. par. 2. q. 8. Exod. 21. v. 12. & seqq. Lev. 19. v. 16.

XXXVIII. Haec de jure venandi constituendo: Si quis verò facultatem venandi justo tit. sibi acquisivit, in eam non turbari vel eam uti prohiberi debet; Contra turbantem vel impedi-entem enim interdicto uti possidetis, vel confessoria actione ex- periri potest. arg. l. un. C. Uti possid. l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. arc. Dd. comm. in §. 2. Inst. de actio. Gail. 2. ob. 67. n. 5. & seqq. & 68. n. 4.

XXXIX. Quando autem de jure venandi quaestio alicui moveretur, illud probare potest vel litteris investiturarum vel et-iam.

iam aliis instrumentis, imò vivis quoq; testibus tot. tit. ff. & de Testib. & Fide instrument.

XL. Opera præcium erit brevibus inspicere & examinare, quibus panis afficiendi veniant ii, qui contra edicta principum venentur, ubi potissimum inspiciendum censemus, an edicto prohibitorio certa & specifica pœna adjecta vel non adjecta fuerit. In posteriore casu actio competit injuriarum, quæ pro admissi delicti qualitate & personæ conditione vel pecuniaria vel carceris vel relegationis vel etiam fustigationis esse potest, ad mortem tamen propter illam solam causam extendi nequit. arg. l. perspicendum u. l. hodie 13. ff. de pæn. l. fin. ff. de Injur. Wesenb. d. lo. n. 7. Mara in prax p. 4. dist. 1. n. 59. & mult. seqq. Facit huc Landrecht lib. 2. art. 61. ubi dicitur. Darumb haben wir dessen eine Urfundt von Gott / das niemand seinen Leib noch Gesundheit an diesen dreyen: Als Vogeln / Fischen vnd Wildenthieren verwircken möge.

XLI. Sin verò certa pœna statuta & adjecta fuerit, tunc ea venatoribus est infligenda, dummodo non statim & prima fronte capitalis sit, sed vel carceris vel pecuniaria: Si tamen in tali homine cresceret contumacia & venatio protervè reiterata fuerit, sane eo casu pro facti & personæ qualitate relegatio aut alia pœna arbitraria decerni & infligi poterit, arg. l. 3. l. nemo C. de Episco. aud. l. capitalium 28 §. solent 3. & §. 10. de pæn. Wesenb. in par. d. lo. Fach d. lo. Gail. 2. Q. 68. n. 10.

XLII. Quod si verò contra Principis mandatum quis pertinaciter venationibus ulterius indulgeret & contemptus magistratus manifeste appareret, ita ut jam incorrigibilis factus videatur, ultimo etiam supplicio affici potest, non tam ratione venationis, quam contemptus & pœnicaciam, pro modo tamen & varietate circumstantiarum, cum tali casu lento gradu ad capitalis pœnam sit progrediendum, arg. l. 28. §. solent. D. de pæn. arg. cap. cum non ab homine Extr. de judic. Nov. 117. cap. 15. Nov. 131. c. 7. Neo Mewer d. tra. von Forst- vnd Jagtrecht. part. 2. tit. Welcher gestalt die Forstliche Ober- vnd herrligkeit / durch die gebührliche Straffe hand zu haben. fol. 50. Fachin. & Dd. dd. locis.

XLIII. Et tunc propter incorrigibilem illum in Magistratum contemptum & malitiosam pervicaciam vocem illā Dei ter Optimi maximi; quā dicitur; qui Principi non obedierit, morte moriatur; locum sibi meritō vindicare posse, concludimus. Deut. 17. v. 12. 1. Reg. 14. c. 2. Extr. de major. & obediē. Conf. Fachin. d. 10. & P. Heig. p. 1. q. 15. n. 80. V. D. Polycarp. Lyser. in Colosso Babylonico tit. de narratione somnii p. 119.

SOLI DEO GLORIA.



Ad

Prestantissimum

Dn. Adamum Lepoldi amicum ac convictorem suum
de venatione disputantem.

Militat in sylvis catulus venetur ut aprum,
Quòditet dominum se satietve cibo.
Scilicet assiduus sic dogmata sacra LEPOLDVS
Sectatur Themidis, compleat inde decus.
Testatur Siquidem quo sit de semine natus,
Dum vigilat gnare Spiritus athereis.
Maecte igitur LEPOLDE animis, rimabere jura
Quò fias patriæ gloria magna tua
Astræ Crescas optamus pectore summo,
Quò fias patri gloria summa tuo.

Joban-Christoff à Polentz
Eq. Lus.

F I N I S.

Vb 17


ULB Halle
002 673 282


3



TA → OL







§. 1389.
2,439.

JURIDICA,
NANDI, 8

birante gratiâ,
Magnificæ ac Amplissimæ
Academia Witte-

I D E
ultissimoq; Viro

I D O Keutern/
Curia Provincialis &
Assessore, ac p. t.
no.

ioni subicit
Sprembergâ Lusatus.
Augusti
n, horis matutinis.

ERGÆ,
GORMANNI
DC. XXVI.

1389

